

Eva Stehlíková, *A co když je to divadlo. Několikero zastavení nad středověkým latinským dramatem*, Praha 1998, str. 129–132.

1. DUMVILLE 1972, 376-7:

Adam autem et Eva adhuc non sunt desoluti de vinculis.

Tunc Adam lugubri ac miserabili voce clamabat ad Dominum, dicens

Miserere mei, Deus, miserere mei in magna misericordia tua,
et in multitudine miserationum tuarum dele iniquitatem meam,
quia tibi soli peccavi et malum coram te feci.

Erravi sicut ovis quae perierat.

Resolve vincula mea, quia manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me.

Ne derelinquas in inferno animam meam,

sed fac mecum misericordiam

et educ me vinctum de domo carceris et umbrae mortis.

Tunc, Domino miserante, Adam, e vinculis resolutus,

Iesu Christi genibus provolutus

Benedic, anima mea, Dominum

et, omnia interiora mea, nomen sanctum eius.

Qui propitius factus est iniquitatibus meis

qui sanat omnes languores meos;

Qui redimet de interitu vitam meam

qui satiat in bonis desiderium meum.

Adhuc Eva persistit in fletu, dicens

Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum

quia merito haec patior,

nam ego, cum in honore essem, non intellexi:

comparatus sum iumentis insipientibus

et nunc similis factus sum illis.

Sed tu, Domine, delicta iuventutis et insipientiae meae ne memineris.

Ne avertas faciem misericordiae tuae a me,

et ne declines in ira ab ancilla tua.

2. YOUNG I, 708:
Hoc testamur, hoc fatemur,
neque verum diffidemur.
O Iudei, credite.
Ihesus tectus vase pulchro
resurrexit de sepulchro.
Alleluya canite!

3. YOUNG II, 118-119:
Internuncius properans ad regem dicat
Felix et vivus sed rex per secula divus!
Rex Internuncio respondeat
Quid rumoris habes? Est pax an bellica clades?
Internuncius respondeat
Reges illi quos misisti
explorare cunas Christi,
iusso calle permutato
redierunt, te frustrato!
Quid facturus sis exquire:
constat eos non redire!
Rex Internuncio respondeat
Rex novus ut pereat, regisque furor requiescat,
omnimodis, vi, fraude, dolis, mecum satagatis!
Internuncius dicat
In Bethleem natum, probat istum pagina vatum:
In qua, mactetur mas lactens quisquis habetur,
nullus ut evadat! Sic puer ipse cadat.
Rex de solio prosiliens cantet
Sic, sic quando quidem delusus sencio fraudem,
incendium meum ruina extingquam.
Armiger Regi respondens cantet
Ecce miles ego regius;
ecce vindex regis gladius,
paratus ad omne facinus,
quod iubebit noster Dominus,
qui placabit iram principis,
multa strage turbe simplicis.
Rex ad Armigerum
Etatis bime pueros fac ense perire.
Armiger interficiens pueros dicat:

Disce mori, puer!

4. YOUNG II,150:

Quid moraris, asina,
obstinata bestia?

Iam scindent calcaria
costas et precordia.

Puer sub Asina respondet

Angelus cum gladio,
quem adstare video,
prohibet ne transeam;
timeo ne peream.

5. YOUNG II, 200-201:

Ihesus

Debitores vir duas habuit:
alter minus, alter plus debuit
creditori.

Non valenti referre creditum
condonavit utrique debitum
debitori.

Nunc demonstret tuum iudicium:
Quis hunc virum debet debencium
plus amare?

Simon

Credo causam maiorem habuit
diligendi vir qui plus debuit,
doctor care.

Ihesus

Equus iudex fuisti nimium;
istud tuum, Simon, iudicium
nequit frangi.

Tecum dicis si hanc mulierem
cognovissem, me non permetterem
ab hac tangi.

Hospes meus, in hoc hospicio,
pedes aqua vel caput oleo
non suffudit;
pedes meos rigavit lacrimis,

caput meum unguentis optimis
hec perfudit.

Tunc dicat Ihesus ad Mariam
Dilexisti multum, o femina;
tui fletus tua peccamina
diluerunt;
illud enim oris confessio
atque illa cordis compunctio
meruerunt.

6. YOUNG II, 218:

Tunc postquam surrexerit Lazarus, dicet Ihesus
Ecce vivit! Nunc ipsum solvite,
et solutum abire sinite.
Lazarus solutus dicet astantibus
Ecce que sunt Dei magnalia,
vos vidistis, et hec et alia.
Ipse celum fecit et maria;
mors ad eius tremit inperia.
Et conversus ad Ihesum dicet
Tu magister, tu rex, tu Dominus,
tu populi delebis facinus.
Quod precipis, illud fit protinus.
Regni tui non erit terminus.

7. YOUNG II, 320:

Siste gradum, quisquis es, Domine;
siste, gradum, et quis sis exprime,
qui dedecus tollens infamie,
onus quoque levas inopie.
Me beatum!

Nicholaum me vocant nomine.
Lauda Deum ex dato munere;
et non velis ulli ascribere
largitatis laudes dominice,
queso, frater.